

DEFENSIO DECRETI SACRÆ CONGREGATIONIS

In causa Sinarum Anno 1704. die 20.
Novembris emanati.

Quæ est responsio ad Objectiones contra idem factas.



Ervenit in manus meas iuxta molis Libellus, latino idiomate conscriptus, in quo Decretum Sacræ Congregationis in causa Sinarum Anno 1704. die 20. Novembris emanatum, acerrimis argumentis usquequaque impetitur, & agitur. Hunc ego diligenter evolvi; Ejusque objectiones, collato studio cum viris eruditissimis, Apostolicæ Sedi plurimum devotis rigida lænce pensavi. Vix sum amicis non penitentiam operam in re magna collocasse. Itaque hortati sunt, ut ne objectiones, ad speciem quidem gravissimas, prodire paterer in vulgus sine solutione. Parendum duxi. Sed nolo molestus esse Lectori integra repetitione singularum objectionum. Nam tribus capitibus rem omnem concludi posse cognosco. Primum caput versabitur circa voces Dei expressivas. Secundum circa ritus in honorem Confusii, ac Progenitorum Defunctorum. Tandem in tertio expenditur duplex ipsius Sacræ Congregationis judicium circa sua prævia Decreta: Porro in singulis capitibus integram objectionem fidelissime exhibebo, cui statim responsionem subjiciam.

Sed antea de duobus Monitorum volo Lectorem. Unum est, ne putet hanc à me sumptam Provinciam, ut sub prætextu defensionis exagitare tutius possem, & convellere Sacræ Congregationis Decreta: Sincero, ac serio animo rem perago in honorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Multis opus non est ad faciendam fidem. Res ipsa de se loquitur. Alterum est, quod nolo dissimulare; eo me animo ad hæc perscribenda inducitur esse, ut Christianitatis Sinicæ, & una Jesuitarum causam tuerer. Neque enim renuo, quin scripta hæc mea ita legantur, veluti quæ prodierint ab auctore uni partium addicto. Spondere audeo tam læculenter à me demonstratum iri, quod Sacra Congregatio Decreto illo suo omnem litem diremit in favorem Jesuitarum, ut apud æquos Lectores nullus dubitationi locus superfit. An steterim promissis, ipsius Sacræ Congregationis judicium erit. Jam rem aggredior.

CAPUT I.

Versatur circa voces Dei expressivas Objectio.

Vulgata res est apud indoctos, questionem hanc de Dei nomine apud Sinas indignam esse viro sapiente. Hinc aliqui Jesuitas accusant, quod tanto studio, tantaque aximi contentione protegere velint hanc, aut illam vocem, tanquam Dei expressivam, nec satis habeant una aliqua non controversa voce Deum compellere. Alii e converso reprehendunt Jesuitarum Adversarios, quod nolint concedere Sinis eam potestatem, qua omnis populus fruatur, ut voces pro libito assumat, atque instituat ad significanda sui animi sentia. Utrique autem sic apud se putant, questionem hanc esse de pura voce, atque adeo minimi momenti. Sed longe falluntur. Neque vero agebatur de providenda voce, quæ ita verum Deum exprimeret apud Christianos Sineses, ut simul anam non præberet prævæ intelligentiæ apud Idololatrias, aut Gentiles. Miraris sum legens responsum Sacræ Congregationis ad secundum quæstum primi articuli. *Si illis vocibus (Tien, & Xan ti) apud præcipuam Sinesium sectam, quæ litteratorum nuncupatur, non nisi Cælum corporeum, & visibile, vel quedam Cæli virtus eidem Cælo insite designatur: Quæcumque alia tandem eisdem vocibus significatio attribui valeat; Abstinerè ab eis prorsus debent Missionarii, ne assensum præbeant illius Gentibus existimandi nihil aliud esse Deum, quem Christiani colunt, quam Cælum corporeum, aut ejus virtutem.* Quid enim istuc refert, si alias duæ illæ voces forent, quæ ex classicis, & antiquioribus Sinarum libris accommodari possent interpretationem ad exprimendam veri Dei attributa? Primis enim, vero Ecclesiæ temporibus inauditus est scrupulus iste circa Dei nomen. Assumpta est citra omnem controversiam vox Latina *Deus*, & Græca *Theos*. Quam vero perique illorum temporum Philosophi abserunt a recta veri Dei intelligentiâ, constare satis potest ex libris Ciceronis de natura Deorum. Quæ propter si prima cura fuisset auferendi locum omni prævæ intelligentiæ; Jam tum vox Ebraica apud Latinos, & Græcos; nunc autem vox Europæa induci debuisset apud Sinas. Neque enim obest quo ad Sinas contraria ratio in responsione ad primum quæstum primi Articuli. Quin etiam novitas vocis,

& ca-

& caracteris, ad eam exprimendam, induci (nempe addjecta per consuetas voces exacta interpretatione) aptior omnino fuisset ad excitandam Ideam rei prorsus novæ, alias incognitæ, cæterarumque rerum nobilissimæ.

Itaque P. Matthæus Riccius Missionis Sinicæ Fundator jam tum ab initio cognovit inveni non debere in Sinas vocem Europæam ad significandam Deum optimum maximum hac præsertim ratione ductus, ne illæ gentes exterum crederent, nec ad se pertinentem Deum, quem Christiani colunt, vel saltem majoribus suis fuisse prorsus incognitum, qui ne vocem quidem habuerint ad eum ruditer exprimendum. Scilicet ipsa praxi-intimidanda censuit Sinesibus non modo existentiam Dei, sed ipsius etiam naturalem cognoscibilitatem. Ergo adhibere debuit vocem Sinicam, qua nempe eorum majores uti fuerint ad significandam Deum, naturali lumine ab eisdem cognitum. Ergo rejicere debuit voces omnes Europæas tanquam inutilis ad istud intentum. Rationem hanc prædicandi Dei didicit Matthæus Riccius a Paulo Apostolo in Epistola ad Romanos cap. I. Ita scribente. *Revelatur enim ira Dei de Cælo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent: Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; Sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Prosequitur Paulus, enarrans omnes ferme iniquitates inde ortum habuisse. Tum concludit; Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; Et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentient facientibus. Unde manifestum fit, quod ante Evangelii prædicationem hæc ipsa veritas præmitti oportet, naturali lumine cognosci Deum esse, nec posse invincibiliter ignorari. Neque enim ulla forent infidelium peccata, a quibus reparandi essent per fidem Jesu Christi Redemptoris, nisi naturali lumine præhabere Deum notitia, ad quam refert Paulus inexcusabilitatem omnium peccatorum. Porro autem nimis incongrua fuisset hujus veritatis apud Sinas prædicatio, si nullus per tot sæcula e tanti populi sapientibus Deum cognovissent: Quod quidem ex eo constare videretur, dum nulla in Sinico idiomate reperiretur vox significando Deo opportuna. Ergo in id incumbere debuit Matthæus Riccius, ut ex ipsis etiam classicis, & antiquioribus Sinarum libris vocem aliquam erueret, qua verum Deum significaret. At mali Christiani contendunt per naturale lumen cognosci dumtaxat posse in genere Divinum Numen; non autem perveniri ad notitiam veri Dei, qui unicus, solusque est. In hoc errore versantur Calvinus, & Tilmanus Hessusius, qui inter Pontificios errores hunc numerat, quod Catechismus Romanus doceat lumine naturali cognosci Deum esse, & esse unum. Videri potest Lorinus in acta Apostolorum cap. 17. Nam ego satis habeo, quod Matthæus Riccius eam methodum usurpaverit in prædicatione Legis Evangelicæ apud Sinas, qua usus est Paulus in Areopago, & cui institit in Epistola ad Romanos. Dicit Paulus cognitum fuisse Deum ab iis ipsis, qui non sicut Deum glorificaverunt. Quin etiam in actis Apostolicis cap. 17. non designatur Dei existentiam confirmare ex loco quodam Arati Poætæ. Uniformiter asserit Matthæus Riccius cognitum fuisse Deum ab antiquis Sinesibus. Quomodo autem id evincat, nisi ex eorum libris vo-*

cem aliquam asserat, qua Deum expresserint? Nequibat concedere illius Regionis Atheis quod majoribus suis fuerit Deus omnino incognitus, nisi vellet a doctrina Pauli desciscere. Sed neque etiam contendere poterat, quod Deus cognitus fuerit ab eorum majoribus, nisi vocem profferret, qua ipsi Deum expresserint. Ergo omni studio inquirere eam debuit, ac postea confirmare. Atqui vox complexa Tienchu non erat ad intentum apta, quia nusquam legitur in classicis, & antiquioribus Sinarum libris: Ergo conferre se debuit ad voces Tien, & Xanti, quas solas reperire inibi potuit intento opportunas.

Sed jam restat videndum, quam longe abit D. Maigrotius ab ista Apostolica prædicandi Dei ratione. Repellit in suo mandato voces Tien, & Xanti tanquam ineptas ad significandum Deum Optimum Maximum. Bene. Scilicet putat iis vocibus non nisi Cælum corporeum, aut ejus vim quandam activam significari. Sed infra statim ait: Multo minus affirmetur id, quod Sinæ præfatis nominibus Tien, & Xan ti intelligunt Deum esse, quem Christiani colimus. Hoc enim verum non intelligo. An aliud movet D. Maigrotium, ne affirmetur id, quod Sinæ præfatis nominibus intelligunt, Deum esse, quem Christiani colimus, præter hoc; quod Cælum materiale, aut ejus vis activa non est Deus, quem Christiani colimus? Aliud sane: Nam dicit, multo minus affirmandum id esse. Quid hoc autem est, nisi quod Sinæ in ea verita propositione dicantur naturali lumine cognoscere Deum, quem Christiani colimus? Hoc enim sic intelliges. Non est sollicitus D. Maigrotius, ne Christiani afferant id, quod voce Tienchu Sineses Idololatras intelligunt, Deum esse, qui a nobis colitur: Non est, inquam, sollicitus; Quamvis ea vox Tienchu ab eisdem Idololatrias adhibeatur ad nuncupanda sua Idola, seu falsa Numina. Nimirum hinc non timet, ne concedatur Sinesibus naturalis cognitio veri Dei, quem certe in suis Idolis non agnoscent. At est sollicitus, ne illud primum affirmetur: Quia nempe ibi conceditur Sinis naturalis cognitio veri Dei. Finge enim utrumque affirmari adversus mandatum D. Maigrotii a Christianis Sinesibus. Tum quod vox Tien significet, non Cælum materiale, sed verum Deum, quem Christiani colimus: Tum quod hæc ipsum verum Deum præfatis vocabulo alii Sineses intelligant. Hoc posterius dictum multo magis displicebit D. Maigrotio, si ejus verbis credimus, quam illud prius. Quid vero superaddit posterius dictum illi priori, nisi quod Sinæ naturali lumine verum Deum cognoverint, eoque vocabulo expresserint? Ergo hoc est, quod dolet D. Maigrotio, nimirum asseri, quod Sinæ naturali lumine verum Deum cognoverint; Sed expende hanc propositionem, quam infra ut scandalosam expellit idem D. Maigrotius. Nomen *Tay Kie* sapientissimos Præfatos Deum causam primam rerum omnium designare voluisse. Quid, quæso, scandali in hac propositione quæquam reperiat, nisi cum præfatis Hæreticis Eroneam putet Carechisini Romani doctrinam, quod verus Deus naturali lumine possit cognosci? Neque enim ulla somnari potest specialis difficultas circa homines Sineses, aut circa præfatum nomen *Tay Kie*, pro ut determinatum ab intentione illorum antiquissimorum: Ergo D. Maigrotius recessit omnino a via, quam tenuit Apostolus in prædicatione veri Dei.

Hinc autem gradum facio ad ostendendum, quod Sacra Congr. in responsio ad quæsta primi articuli (unde pendet responsa ad quæsta secundi) visa est favere prædicto errori D. Mai-

ubi docere videtur, non licere cultum Civitem illis exhibere, quos conflet esse damnatos. Sed P. Suarius intelligendus venit, quoties conflet de damnatione, vel ex Divina revelatione, vel ex publica Ecclesiae declaratione, quorum neutrum cadere potest in Confusum, sive universum in Defunctos Sineses. Quidquid vero sit de mente P. Suarii, satis habeo in praesens, quod Sacra Congregatio licite dicat Civiles, ac politicos ritus in honorem Defunctorum, cum alias id ipsum valide impugnaverint, qui a praxi Jesuitarum diffidebant.

Præterea circa aliquot Sinicos ritus, ac maxime circa occisionem animalium ad honorandum ordinatam; contendebant Adversarii spectandam nullatenus esse intentionem, aut institutionem illius Imperii propriam: Scilicet agebant ex ipsa rei natura contineri ibi verum Sacrificium, quod quidem confirmari posse putabant ex similitudine cum Idololatria Græcorum, ac Romanorum. At Sacra Congregatio eatenus tantum ritus Sinicos a superstitione inseparabiles esse a superstitione sub adiecta restrictione, seu conditione juxta ea, que in quaestis proposita sunt. Dico autem referri non posse hanc conditionem ad ritus ipsos externos, sed omnino referri oportere ad significationem, sive institutionem eorumdem, qualis nempe indicatur, ac proponitur in quaestis per vocabula templorum, Altarium, Sacrificiorum, oblationum, precum, & ejusmodi. Probatur primo. Si enim conditio referatur ad ritus ipsos externos; sensus declarationis a Sacra Congregatione factæ V. G. circa occisionem animalium foret ista: occidio suis, caprae, aut alterius animalis in honorem Defunctorum non est permittenda Christianis, si verum est, quod fiat. Inanis, ac futile declaratio & nimis indigna Spiritu Sancto, Ecclesiae suae assistente. In propositionibus, quas dicunt aeternæ veritatis, subjectum supponitur, & de eo, ut constante prædicationes fiunt. Quare inanis est adjectio expressæ conditionis, circa ipsos subjecti constantiam. Ergo conditio, quam expresse adiecit Sacra Congregatio per verba superius citata, referri nequit, circa eisdem Sacrae Congregationis dedecus ad constantiam ipsorum rituum externorum. Ergo referenda est (quod unice superest) ad significationem, sive institutionem eorumdem, qualis nempe indicatur, ac proponitur in quaestis. Probatur secundo: Nam verba sequentia manifeste declarant Sacrae Congregationis mentem, circa conditionem adiectam. Dicit permittendos non esse Christianis, ne præmissa quidem publica, vel secreta protestatione, se non religioso, sed Civili, ac politico tantum cultu erga Defunctos illa præstare, nec ab eis quidquam petere, aut sperare. Sensus integræ declarationis videtur iste: Permittendi non sunt illi ritus Christianis, si vera sunt, que in quaestis exhibentur, hoc est, si Religiosam sortiuntur significationem ex publica, seu legitima ipsorum institutione, pro ut in quaestis apparet: Permittendi inquam, non sunt, non obstante contraria privata protestatione, sive hæc secreto fiat, sive palam. Sapientissima declaratio; Neque enim privata protestatio reddere potest Civiles, ac politicos illos ritus, qui jam ex publica, seu legitima institutione adoptati sunt in Religiosos. Porro autem rejici nequit data interpretatio; Quoniam Sacra Congregatio privatæ Christianorum protestationi adversus religiositatem cultus contraponit conditionem, sub qua ritus illos

Christianis nullatenus permittendos esse declarat. Ergo manifestum est referri oportere ad Religiositatem cultus iis ritibus in quaestis attributam ex publica, seu legitima eorumdem institutione. Hoc autem rursus sic ostendo. Protestatio non aufert aclus externos, qui exercentur; quin etiam eosdem supponit, quos nempe tali aliquo pacto interpretatur. Ergo veritas expositionis in quaestis factæ, quæ est conditio, sub qua ritus illi non permittuntur a Sacra Congregatione non obstat tam dicta protestatione, referri nequit ad constantiam rituum externorum. Ergo referenda est ad publicam, seu legitimam eorumdem institutionem, unde religiositas provenit, pro ut in quaestis exhibetur, quam utique impediri non posse per solam privatam protestationem verissime docet Sacra Congregatio.

Sed hinc luculenter eruitur tacita eisdem Sacrae Congregationis declaratio, quod prædicti omnes Sinici externi ritus permitti possint Christianis tanquam a superstitione separabiles, si desit conditio sapientissime appositæ; Hoc est, si desit religiosa significatio in publica, seu legitima eorumdem institutione. Quis autem nesciat contendifse acerrime Adversarios (multi in hanc rem extant vulgati libri) quod Sinici aliquot ritus externi quasi ex objecto, sive ex sua ipsorum natura Religiosi, damnandi essent absolute tanquam Idololatriæ, aut superstitiosi; qualescumque tandem foret publica, seu legitima eorumdem institutio. Ergo alterum habemus ab hac Sacra Congregatione responsum conditionatum de jure, quod Christianitatis Sinicæ, & una Jesuitarum causæ notabiliter favet. Si quis adhuc scrupulus remanet, in fine tertii capitis diluatur.

Ex quibus omnibus etiam concludimus. Primo: Sacra præsens Congregatio non deflexit ipso facto a regula practica, quam sapientissime tradidit alia Sacra Congregatio de Propaganda Fide. Ratio est, quia damnatio, quam protulit rituum Sinicorum est mere conditionata. Secundo non erat e dignitate Sacrae Congregationis, ut responderet ad quaestis, in quibus facti exposicio nullam præferret speciem veritatis, seu nulla fulciretur probabilis auctoritate. Ergo in idipsum multo tempore, ac studio incumbendum fuit, etiam si cateroqui proferri non deberet judicium super veritate, aut falsitate expositionum. Tertio sola hic adsunt responsa conditionata de jure. Aliqua ritus Sinicos damnant, aliqua absolvent. Quarto tandem nunquam approbarunt Jesuita ritus Sinicos externos prout ab hac Sacra Congregatione permittantur. Ergo nil mirum, si multo tempore, ac studio opus fuit, ad repellendam absolutam damnationem rituum Sinicorum, nullo habito respectu ad ipsorum publicam, seu legitimam institutionem, pro ut constat Adversarios intendisse. Ergo præsentis Sacrae Congregationis responsa circa Sinicos ritus, adeo Christianitatis Sinicæ, & una Jesuitarum causæ non officiant, ut magis eidem suffragentur.

CAPUT III.

Expenditur duplex judicium Sacrae Congregationis super sua prævia Decreta.

OBJECTIO.

In fine responsum super 5. Articulo ad quaestum 3. Articuli huic remissum Sacra Congregatio status duxit nihil respondere, ne alias Apostolica Sedes ab eo, quem in hujusmodi controversiis Sinicis hactenus tenuit, antiquo more recedere

cedere cogatur, quo nimirum ad ea, quæ sibi pro tempore, tametsi diversimode expolita fuerunt, responsa quidem veritatis semper dare, nunquam vero super expositionum hujusmodi veritate, seu falsitate pronunciare consuevit. Ecce primum judicium ipsius Sacrae Congregationis circa sua prævia Decreta. Non pronunciavit, imo nec voluit pronunciare super veritate, aut falsitate expositionum. At in fine super septimo Articulo expresse dicit: Dubitandum non esse illos (Jesuitas indicare videtur) finita jam causa præfata Sanctæ Sedi. mandatis ea, qua decet humilitate, & obedientia esse obsecuturos. Ecce alterum judicium repugnans primo. Quomodo finita est causa, si nihil est pronunciatum super veritate, aut falsitate expositionum? Nam omnis controversia circa ipsam expositionem versatur. Innotescere hoc potest ex iis, quæ in ista causa ferme ad initium scribit Sacra Congregatio. Die 12. Septembris 1645. *quaestis quaedam in Sacra Congreg. de Propaganda Fide proposita, examinata, & resoluta fuerunt approbante Sanctæ memorie Innocentio X. Alia quoque in Sacra Congreg. Sancti Officii pariter discussa, & resoluta die 23. Martii 1656. Sanctæ memorie Alexander VII. approbavit. Et deinde die 20. Novembris 1669. Sanctæ memorie Clemens IX. utraque vim habere, pro diversa facti, & circumstantiarum expositione, declaravit.* Tum profertur dicens non ideo Missionarium controversias quiescisse. Ex quibus, & ex reliquis ibi legendis ante quaestis, ac responsa a Sacra Congreg. data, manifestum esse debet, quod lis omnis est de veritate aut falsitate expositionum. Ergo nequit esse finita causa nisi circa id ipsum prolata sit sententia definitiva. Itaque primum Sacrae Congreg. judicium circa sua prævia Decreta manifeste repugnat. Secundo. Suffragatur etiam efficacissima ratio. Quatenus enim Sacra Congreg. nihil pronunciaverit super veritate, aut falsitate expositionum jam licitum erit utrifque litigantibus remanere in sua praxi, nimirum sub prætextu, quod sua exposicio utnequeque consonet veritati. At hinc quot inter Missionarios dissidia, quot scandala, quot jurgia? An vero finita dici possit causa, quæ pristinis eisdem perturbationibus locum relinquat? Sed ita rursus in gratiam minus intelligentium dissero. Tunc finita dici non potest causa, quoties intacta manet omnis controversiæ origo. Atqui intacta manet omnis controversiæ origo, si præsentis Decreto auctoritatis suæ pondus non adiecit Sacra Congregatio factæ expositioni. Ergo, hoc stante, præsens causa finita non est. Ergo vel causa non est finita, vel auctoritatis pondus adjectum est a Sacra Congregatione factæ expositioni. Major est per se evidens; Minor ex eo demonstratur, quia circa permissionem rituum, pro ut ibi expositionum, nulla unquam fuit inter Missionarios controversia: Totum negotium versatur circa ipsam expositionem. Nemo unquam vocavit in dubium propositionem conditionatam, quod ritus Sinici declarandi essent prohibiti, si tales forent, quales in præsentis Decreto exhibentur. Negant Jesuitæ propositionem absolutam, quæ est purificatio supradictæ conditionis, negant tales esse ritus Sinicos, quales exhibentur in præsentis Decreto. Circa hoc unicum punctum lis tota vertitur. Hinc autem manifesta evadit utraque superior consequentia. Ergo evidentèr invicem pugnant duo illa Sacrae Congregationis judicia circa sua prævia Decreta.

RESPONSIO.

Difficillima videtur hæc objectio; sed eam, Serry Tom. VI.

nisi me nimis amo, clarissime solvam. Itaque utramque sincere amplector, & admitto. Sacra Congreg. non pronunciavit, imo nec voluit pronunciare super veritate, aut falsitate expositionum. Hoc primum. Prolata est sententia ultima definitiva in causa Sinarum. Hoc secundum. Ostendere oportet non pugnare inter se hæc duo judicia, atque item sublatam esse imposterum discordiarum, ac perturbationum originem. Incipio a declaratione posterioris judicii Sacrae Congreg. circa sua prævia Decreta. Accusabant ritus, quibus Sinæ Defunctos honorant Illiciti Christianis dicebantur, quamvis essent mere Civiles, ac politici. Adversariorum argumentum supra auditum, Sacra Congreg. sanxit permitti posse Christianis illos honorandi ritus, qui mere Civiles, ac politici sunt; excludi dumtaxat voluit ritus Idololatriæ, aut superstitiosis speciem præferentes. Contendebant Adversarii, quod Sinici aliqui externi ritus permitti nullatenus possent quasi ex objecto, sive ex sua ipsorum natura religiosi, atque adeo apud Sinas Idololatriæ, aut superstitiosi. Sacra Congregatio eatenus dumtaxat eos reprobandos censet, quatenus vera sint, que circa istos in quaestis exhibentur. Interpretationem hujus conditionis supra attulimus. Scilicet reprobari non possunt, nisi ex publica, seu legitima eorumdem institutione religiositatem obtineant, qualis nempe insinuatur, ac proponitur in quaestis. His porro declarationibus complexa est Sacra Congreg. regulas omnes dogmaticas de licito, & illicito, in causa rituum Sinicorum. Liciti sunt, si mere Civiles, ac politici; illiciti autem si religiosi. Utrum vero Religiosi sint, an mere Civiles, seu politici attendenda est publica, seu eorumdem legitima institutio. Quid amplius expectes a Sacra Congregatione? Prolata est sententia definitiva circa utramque quaestionem de jure. Alia, quæ restat, est quaestio de puro facto, videlicet utrum recepta, ac vigens apud Sinas rituum externorum rituum legitima institutio sit Religiosa, qualis nempe exhibetur in quaestis; An mere Civilis, seu politica, qualem afferunt alii Missionarii. Atque hæc est illa quaestio circa veritatem, aut falsitatem expositionum, super qua non pronunciavit, imo nec voluit pronunciare Sacra Congreg. Ergo verissime dicitur finita causa rituum Sinicorum, nimirum postea quam a Sede Apostolica data sunt responsa omnia de jure circa has controversias, etiam si cateroquin non pronunciaverit, imo nec voluerit pronunciare super quaestione puri facti, quæ respicit veritatem, aut falsitatem expositionum. Ergo optime conciliantur duo hæc judicia Sacrae Congregationis circa sua prævia decreta.

Verum alia restat difficultas solvenda. Quomodo hæc ratione impediri possint dissidia, ac rixæ inter Missionarios. Quo loco putare quis posset, quod ritus illi externi prohibiti sint absolute a Sacra Congregatione ad obtinendum bonum concordiae ac pacis; Etiam si nihilominus prolatum non fuerit judicium super veritate, aut falsitate expositionum. Hæc tamen responsio sufficere non potest. Primo, quia Sacra Congreg. ubi universum edicit non esse eos ritus permittendos Christianis, expresse assertit pro ratione inseparabilitatem a superstitione. Ergo hoc non est præceptum liberum Ecclesiasticum, sed declaratio præcepti naturalis immutabilis. Rursus inseparabilitas a superstitione non absolute assertur a Sacra Congreg., sed pro ut dependens a veritate expositionum tanquam a conditione. Immo prædicta omnia tanquam a superstitione inseparabilia, juxta ea que in quaestis proposita sunt, non esse permittenda Christianis. Ergo præceptum ipsum

